

No. 196. 1423. 4. Nov.

*P. Martin V. beauftragt den Probst zu Neuwerk bei Halle auf Beschwerde der Grafen Heinrich und Albrecht von Schwarzburg über eine vom Abt (Probst) zu S. Thomas in Leipzig gegen sie ausgesprochene Sentenz die Richtigkeit des umständlich erzählten Sachverhalts zu prüfen und hiernach das Erforderliche den canonischen Vorschriften gemäss zu verfügen.*

Martinus episcopus servus servorum dei dilecto filio . . . praeposito monasterii Novioperis extra muros opidi Hallensis per praepositum soliti gubernari Magdeburgensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii nobiles viri Henricus et Albertus comites de Swarczburg fratres Maguntinensis diocesis petitione monstrarunt, quod olim Johannes Ritter canonicus Merseburgensis falso asserens, quod ipsi comites associatis sibi quibusdam suis in ea parte complicibus ipsum non absque manuum iniectioe in eum ausu sacrilego temere violenta ceperant et carceri mancipaverant ac aliquandiu detinuerant eidem carceri mancipatum ac ipsum aliquibus pannis lineis equo pecuniarum summis et rebus aliis ad eum spectantibus spoliaverant, apostolicis super his ad decanum ecclesiae sanctorum Petri et Pauli apostolorum Citzensis Nuemburgensis diocesis eius proprio nomine non expresso sub ea forma litteras impetravit, quod si de huiusmodi manuum iniectioe, carceris mancipatione et detentione constaret, ipsos comites tandiu appellatione remota excommunicatos publice nuntiaret et faceret ab omnibus arctius evitari, donec ipsi comites passo iniuriam satisfacerent competenter, dictoque canonico minus veraciter referente Petro abbati monasterii sancti Thomae in Lipezk Merseburgensis diocesis, cui ut asserebat Clemens decanus dictae ecclesiae super his totaliter commisit vices suas, quod ipsi comites ipsum manu violenta ceperant ac carceri mancipaverant ac aliquandiu detinuerant ut praefertur, praefatus abbas ad falsam relationem huiusmodi, nulla etiam super relatis ipsis cognitione prachabita, quamquam sibi de illis alias non constaret prout nec constare poterat, cum ea non essent notoria neque vera, sed arrupto et de facto contra ipsos comites nonnullos processus de facto fecit diversas excommunicationis et interdicti sententias continentes, mandans inter cetera ipsos comites excommunicatos publice nuntiari et ab omnibus arctius evitari ac loca, ad quae eos declinare contingeret, ecclesiastico supponi interdicto. Et licet in constitutione felicis recordationis Bonifacii papae VIII. praedecessoris nostri caveatur expresse, ut cum actor et reus civitatis et diocesis fuerint diversarum, si actor in civitate vel diocesi rei iudicem habere recuset, ipsum non in sua sed in alia civitate vel diocesi impetrare valeat reumque trahere ad eandem, dictique comites de ipsa diocesi Maguntina essent et in illa duntaxat foverent lares suos, tamen praefatus abbas contra eosdem comites in eadem diocesi Nuemburgensi in causa huiusmodi ad nonnullos actus etiam de facto processit, quamvis sibi id ex beneficio litterarum non competeret earundem, prout fuerat pro parte dictorum comitum obiectum. Cum autem in constitutione praedicta decernatur irritum et inane, quidquid contra ipsius tenorem contigerit attemptari, pro parte dictorum comitum fuit nobis humiliter supplicatum, ut